



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

9. Quartum principale Argumentum ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

quia separari nequit existentia ab essentia, ita ut sine illa manere possit, ut satis constat, quia existentia est modus essentiae, sed modus rei non potest separari à re cuius est modus, manendo in suo esse, alias esset modus, & non modus, modus quia sic supponimus, non modus quia esset res cum maneat separatus ille conceptus ab alio quocumque, neque essentia potest separari ab existentia, quia destructa existentia, destruitur essentia, hoc est in rebus non manentibus, si aliquomodo manere diceretur, maxime quia ab aeterno sunt verae & immutabiles enunciationes de ipsa essentia, ut quia homo sit animal rationalis; hoc autem non satis est ut dicatur essentia manere actu, destructa existentia, sicut neque ut ante existentiam ab aeterno actu fuisse dicatur, veriusque enim eadem est ratio; porro autem essentiam rei creatae non fuisse ab aeterno extra primam causam actu, patet, quia aut illa ab aeterno conservaretur à Deo aut à nullo penderet, sed increata esset, si esset increata, esset ipse Deus, unde essentia creaturae Deus esset, quod est haereticum; si autem à Deo dependeret, & conservaretur, sequeretur aliquid ab aeterno extra Deum fuisse à Deo productum & conservatum, quinimo necessario à Deo ita emanasse, sicut filius aeternus à Patre, quae sunt absurda, ea vero solum ratione dicuntur essentiae rerum aeternae, non quia actu sint, sed quia ab aeterno non implicant contradictionem ut sint, & ita sunt obiectum divinae omnipotentiae, haec autem possibilitas, & non implicatio contradictionis necessaria est, & prior nostro modo intelligendi omni actu voluntatis, & intellectus Divini, ut patet ex dictis supra. Deinde quia nulla entitas potest esse actu, nisi existat, nam existere aut idem est quod actu esse ens, aut necessario recipiuntur inter se, actus enim entis est existere; ergo nulla essentia potest actu esse nisi existat, existere autem non potest sine existentia, nulla igitur potest assignari distinctio inter essentiam actu & existentiam, siquidem essentia actualis est existens, & ita existentiam habet, ac proinde neque vlla compositio realis excogitari potest.

SUBSECTIO. IX.

Quarum principale argumentum ponitur.

Quarto sic argumentor ab impugnatione praedictae, cui fundamenti contrariorum, ideo essentia, & existentia distinguuntur realiter, quia possunt separari eo quod essentia est indifferens ad existendum, vel non existendum, sed haec ratio nullius momenti est, ergo, &c. Probatur minor, si haec ratio subsisteret, ipsa essentia existentiae hominis, prout distinguitur ab essentia ipsa hominis (ut patet ex dictis in prima ratione pro nostra conclusione) distingueretur à parte rei ab ipsa existentia quam essentialiter constituit. Deinde ipsa existentia in quantum distinguitur ab essentia rei, distingueretur à parte rei ab ipso exercitio existentiae, & de illo exercitio idem probaretur, & sic procederetur in infinitum, sed hoc est absurdum quoad utramque partem: ergo, &c.

Maiores quoad primam partem sic demonstratur, quia ideo essentia hominis distinguitur ab ipsa existentia hominis per vos, quia est indifferens ad existendum, & non existendum, ac proinde separatur ab existentia, & haec indifferencia, & haec separatio conveniunt essentiae hominis, quia illa quatenus vera essentia est, est aeternae veritatis omnino necessaria, ac proinde à se, & immutabilis, ac invariabilis simpliciter, & absolute adhuc diuinitus in praedicatis essentialibus, in quo distinguitur vera, & propria essentia, quae quidditas dicitur ab exercitio, & actualitate existentiae, quae contingens est ex eo quod producat à Deo li-

bere, & pro libito diuino tribuatur creaturae, nam ita conceditur existentia essentiae creatae, ut si Deus voluisset non concessisset illam, cum autem id, quod contingenter conuenit, & producat à Deo libere in tempore, non existerit ab aeterno, & essentia fuerit ab aeterno, inde euenit, ut essentia ab aeterno fuerit separata ab existentia, & indifferens ad existendum, & non existendum.

Tum sic praedicata essentialia, quae quidditative, & essentialiter constituunt existentiam hominis (quatenus distinguitur ab essentia ipsius hominis) sunt vera, & propria quidditas, & essentia: ergo sunt ita aeternae veritatis, ut sint omnino necessariae à se, & immutabiles, ac inuariabiles adhuc per potentiam Dei absolutam, ergo ab aeterno sunt eo modo quo sunt ab aeterno praedicata quidditative hominis, & essentia ipsius, ergo sunt separata ab ipsa existentia, ac proinde sunt indifferencia ad existendum, & non existendum vel ad constituendum, & non constituendum existentiam. Patet consequentia, quia ea quae ita se habent, ut quando datur non datur aliud, separantur realiter, atque quidditas, seu praedicata essentialia existentiae ab aeterno fuerunt, quia sunt aeternae veritatis, &c. & essentia quae de nouo producat nunc non fuit ab aeterno, quia Deus nihil ab aeterno produxit, sed in tempore; ergo praedicata essentialia existentiae separantur à parte rei ab ipsa existentia; ergo illa praedicata essentialia distinguuntur à parte rei ab ipsa existentia, quam essentialiter constituunt, sed hoc est contra vos; qui assertis praedicata essentialia non distinguuntur à parte rei à re ipsa, quam constituunt, ut patet ex dictis supra in prima ratione meae conclusionis, & ideo assertis ens, substantiam, corpus, viuens, animal, rationale nullomodo distinguuntur à parte rei ab homine, quod adeo verum est, ut etiam refutetur Scotum docentem praedicata vniuersalia distinguuntur ex natura rei ab individuo, quod constituunt, si autem praedicata essentialia, quibus essentialiter constituitur existentia quatenus distinguitur ab essentia hominis, vobis gratia, ens, existentia ut sic substantialis, vel accidentaliter separantur ab aeterno ab ipsa existentia, quam constituunt, non solum distinguerentur praedicata quidditative communia à re, quam constituunt ex natura rei formaliter, ut inquit Scotus, cum identitate reali, sed potius sine vlla identitate distinguerentur à parte rei ab illa; unde vi nostri argumenti concederetis nunc magis quam concedit Scotus, ac proinde vobismetipsis contradiceretis. Ergo dicendum est praedicata quidditative existentiae non distinguuntur ex natura rei ab ipsa existentia, ac proinde illa praedicata quidditative, quatenus sunt positiua actualia praedicata non dari ab aeterno, neque separari ab ipsa existentia, quam constituunt essentialiter solum, quae esse ab aeterno possibilia, & secundum possibilitatem separari ab existentia actuali, non à possibilitate existentiae, neque ab existentia possibili, quia ab illa non distinguuntur ipsa essentia possibilis, itaque assertum est essentiam possibilem non distinguuntur ab existentia possibili, & essentiam actualem non distinguuntur à parte rei ab existentia actuali, etiam si sit vera essentia actualis.

Ergo similiter essentia ipsa hominis actualis non distinguitur à propria existentia, etiam si sit vera essentia, quia sicut essentia possibilis hominis non separatur ab existentia possibili hominis, ita essentia actualis hominis non separatur ab existentia actuali ipsius, neque est indifferens ad illam, & ad negationem illius, sed potius est omnino determinata essentia actualis, ad ipsam existentiam, quia per existentiam constituitur in esse actualis identice, & simplicissime quatenus identificatur cum existentia.

165 Vergetur; ac declaratur amplius, quia quicumque modus vel entitas à parte rei prout distincta ab alia, verbi gratia, ubi figura, & actio habent propria prædicata essentialia, quæ in ratione essentia, & quidditatis sunt tam propria; & quidditas sicut prædicata essentialia hominis & Angeli sunt vera & propria quidditas; & essentia hominis & Angeli; unde sicut prædicatis essentialibus hominis formantur propositiones æternæ veritatis omnino necessariae, immutabiles, & inuariabiles, ita similiter de prædicatis essentialibus actionis, ubi & figuræ formantur propositiones æternæ veritatis, omnino immutabiles, & inuariabiles, quæ absolute abstrahunt à temporibus, quare sicut hæc propositio est æternæ veritatis &c. homo est ens, homo est animal rationale, ita similiter hæc propositiones sunt æternæ veritatis &c. ubi est ens, actio est fluxus ab agente, ubi est determinatio rei ad locum, quare, quod ubi, figura & actio sunt modi imperfectiores homine, non tollit quin habeant veram & propriam quidditatem & essentiam, sicut homo habet illam; ac qui essentia hominis nullo modo distinguitur ab homine: ergo essentia ubi actionis, & figuræ nullo modo distinguitur ab ipsis; & ratio est, quia nihil est magis intimum, magis necessarium, magis idem, magis indistinctum ab aliquo, quam essentia per quam constituitur illud ex eo quod essentialiter & quidditative constituat ipsum: unde siue essentia dicatur omnino necessaria, siue æternæ veritatis, siue immutabilis & inuariabilis, nullo modo debet distingui, sed omnino debet identificari cum re cuius est essentia, quod Thomistæ cum Diuo Thoma contra Scotistas asserunt ut vidimus supra agentes de distinctione ex natura rei, quod adeo verum est hoc, ut non solum affirmet Thomistæ, totam essentiam non distingui à re cuius est essentia: sed neque vnum quodque prædicatum essentialis, & ideo docent sicut animal rationale non distinguitur à parte rei ab homine, ita similiter ens aut substantiam, viuens aut animal diuissim nullo modo distingui à parte rei ab homine; quod etiam contingit in modis & in accidentibus quæ nullo modo distinguntur à propriis essentis & prædicatis essentialibus, siue diuissim sumptis, siue collectim, ex eo quod prædicata essentialia sunt siue illa prædicata essentialia sunt æternæ veritatis siue non; ex quo manifeste colligitur talia prædicata essentialia nunquam separari ab entitatibus quas constituunt quidditativæ, si cum proportionem sumantur, unde si prædicata illa sumantur ut actualia, non separantur ab Actuali re quam constituunt; si autem sumantur ut possibilis, nullo etiam modo separantur à re possibili, cuius prædicata possibilis sunt.

166 Tunc sic, siue essentia hominis, v.g. sit res, siue modus distinctus à parte rei ab essentia hominis, vere datur à parte rei & proprie existit sine fictione; ergo habet vera & propria prædicata essentialia, quæ nullo modo separantur & distinguuntur à re quam constituunt essentialiter, videlicet ab existentia ipsa, quia ubi datur eadem, ratio formalis, datur idem effectus formalis, sed in essentia, seu prædicatis essentialibus existentia datur eadem ratio formalis, quæ datur in essentia hominis, ut identificetur cum ipso homine sine ulla distinctione: ergo dabitur in prædicatis essentialibus existentia similis effectus identificationis cum existentia quam constituunt. Minor illa est manifesta, quia tota ratio formalis propter quam essentia hominis (sit vel non sit æternæ veritatis) non distinguitur ab ipso homine, est quia est vera quidditas & essentia illius, sed etiam prædicata essentialia existentia sunt vera quidditas, & essentia existentia: ergo datur eadem ratio formalis identi-

ficationis: &c. ergo male colligitis essentiam hominis distingui ab existentia propria, quia essentia hominis est æternæ veritatis, & omnino necessaria; siquidem etiam essentia existentia, & prædicata metaphysica essentialia illius sunt æternæ veritatis per vos, & omnino necessaria, & nihilominus non distinguuntur neque separantur ab existentia quam constituunt, alias prædicata metaphysica rei distinguerentur ab ea re quam constituunt: unde animal rationale distingueretur ab homine; ne ergo hæc absurda sequantur, dicendum est nullam essentiam actualem distingui à parte rei ab existentia propria, ac proinde non separari illam ab hac: solumque distingui ab existentia, & separari ab illa essentiam possibilem, in qua fundatur prædicata æternæ veritatis, & de qua dicitur esse à se omnino necessariam, immutabilem ac inuariabilem, itaque essentia actualis nullo modo differt ab existentia licet essentia possibilis distinguitur ab existentia actuali; quia autem Aduersarij non distinguunt hos terminos equiuocatione laborant in suis argumentis, & repositionibus ut patet ex dictis, ut autem tenebras has aduersariorum expelleremus lucem distinctionis supradictæ in medium protulimus, quæ satis illustrata ac probata manet, illa prima pars maioris illius syllogismi.

Secunda pars sic demonstratur; quia existentia panis v.g. potest esse & non esse actualiter: ergo distinguitur existentia ab eius actualitate & exercitio. Probat autem antecedens, existentia panis ante consecrationem est actualiter existens; sed post consecrationem non est actualiter existens, potest tamen existere, si Deus reproducat iterum panem ut potest: ergo existentia potest esse & non esse actualiter: Maior est centesima in nostra fide, supponitur enim necessario materiam ad consecrationem; minor etiam est de fide, ut optime probat eximius Noster Doctor. tom. 3. in tertiam partem disput. 49. sect. 2. & 3. Consequentia inferitur manifeste, quia in tantum substantia panis desinit esse, in quantum non est actualiter eius existentia. Confirmatur, illud quod est indifferens ad esse actualiter, & ad non esse actualiter distinguitur realiter ab esse actualiter: sed existentia panis est indifferens ad esse actualiter, & ad non esse actualiter: ergo existentia panis distinguitur ab esse actu: ergo etiam in illo modo existentia erit distinctio ex natura rei inter ipsum & idem ipsum: hoc est inter ipsius essentiam, & suum actuale esse, quod est impossibile, alias fieret idem argumentum de esse existentia illius modi & eius essentia, & sic procederet in infinitum; si igitur in ipsa existentia intelligi potest quod interdum sit & interdum non sit sine distinctione ex natura rei, cum non idem intelligitur in essentia actuali cuiuscumque rei, & ipsius existentia, ut non distinguantur inter se.

Respondet Caietanus quest. i. de ente & essentia, 168 negando existere esse indifferens ad esse & non esse, quia nihil est indifferens ad aliqua duo, quorum alterum sibi determinat & est sibi essentialis &c. sed esse est de essentia existere: ergo existere non potest esse indifferens ad esse & non esse, quia res non potest esse indifferens ad esse essentia, & ad non esse essentia, quia esse essentia est de intellectu & ratione essentia.

Sed hanc solutionem Caietani omnes Doctores reiiciunt & merito, quia est euidenter falsa, existentia enim panis est vere & actualiter ante consecrationem, & post consecrationem non est actualiter, & existentia rosa in hyeme non est à parte rei, in vere autem est à parte rei: ergo existentia potest esse actualiter & non esse: ergo est indifferens ad esse & non esse. Respondet ulterius Caietanus, quod ideo

existen

existentia rosæ in hyeme non est, quia essentia rosæ quæ ab æterno habet suam prædicatam quidditativam, nondum ad actum essendi pervenit, & non ideo quia existere sit indifferens ad esse & non esse: sed contra, quia hæc secunda responsio Caietani est tam improbabilis sicut prima, quia ipsa existentia rosæ in hyeme tantum erat in potentia: ergo non erat actu. Antecedens est evidens, quia in hyeme erat potentia in Deo ad producendam existentiam rosæ, & non produxit tunc: sed omne illud quod potest Deus producere, & non producit, dum non producit est tantum in potentia: ergo existentia rosæ in hyeme, est tantum in potentia.

170 Confirmatur, quia existentia rosæ in vere extrahit rosam extra causas actualiter: ergo hoc quod est extrahere rosam extra causas actualiter separatur ab essentia existentie: ergo essentia existentie potest esse sub negatione extrahendi rem extra causas actualiter: ergo essentia existentie est indifferens ad esse actualiter, & non esse actualiter: ergo distinguitur ab esse actualiter, de quo esse actualiter redditur argumentum usque in infinitum, videlicet utrum distinguatur à sua essentia, quia essentia illius potest esse, & non esse actualiter, & sic erit indifferens ad esse, & non esse actualiter usque in infinitum.

171 Respondet Albertinus quod ideo essentia rosæ distinguitur à parte rei ab existentia, quia est indifferens ad existere tanquam ad modum realem vel rem absolute de novo advenientem essentia: at vero existentia quamvis secundum esse ipsius conceptum sit indifferens ad esse in actu exercitio, quia tamen existentia non existit per aliam existentiam, potest non esse subimer ratio existendi, sicut quantitas se ipsa est extensa, & actio se ipsa fit: ideo ipsum exercitium existentie non distinguitur ab ipsa essentia existentie, & sic cessat ratio paritatis; quod si dicas, quid igitur additur de novo existentie in potentia, cum sit in actu exercitio? respondet nihil de novo addi in ratione existentie: sed illam quæ erat in potentia obiectiva fit in actu, & extra causas ad quod sufficit actio agentis, quæ est modus quidem realis per quam actionem existentie extrahitur extra causam suam, & sic existens formaliter, sic Albertinus.

172 Sed hæc responsio semper difficilis mihi visa est ne amplius dicam: primo quia est manifesta petitio principij, nos enim ex indifferentia quam habet existentia ad essendum, & non essendum actualiter intendimus probare, quod exercitium existendi actuale non est ipsa existentia secundum essentiam, quia potest dari existentia secundum prædicatam essentialia sine illo exercitio cum ab æterno detur illa sine hoc, & sicut ipse probat quod ideo essentia distinguitur ab existentia, quia potest dari essentia sine existentia, ita etiam nos probamus ipsam essentiam existentie distingui ab ipso exercitio actuali existentie, quia essentia seu prædicata quidditativa possunt esse sine actuali exercitio existendi: ergo quando ipse respondet quod non distinguitur petit manifeste principium.

173 Deinde argumentum de separatione nihil probat, quia nos etiam dicimus quod ipsa essentia rei est ratio formalis existendi, quia si posset separari ab exercitio existendi, essentia non distingueretur ab existentia. Exempla autem quæ addert Albertinus non veniunt ad rem; imo potius sunt contra illum, ideo enim colligimus actionem esse rationem formalem agendi quia implicat dari actionem quin actualiter agat: unde si posset dari actio quin actualiter ageret, colligeremus evidenter quod non esset ratio agendi, vel quod ne-

cessario requireret aliquid distinctum à se ipsa ut actualiter ageret, & ideo colligimus evidenter quod quantitas distinguitur ab actuali extensione locali, quia potest dari quantitas actualiter quin extendatur & extendatur actualiter localiter, ut patet evidenter in venerabili Eucharistie Sacramento, in quo datur quantitas actualiter, quin actualiter extendatur, & ideo probavimus in physicis materiam & formam distinguere ab actuali exercitio vniendi, quia possunt esse extrema quin actualiter vniantur: contra vero evidenter colligimus unionem actualem esse rationem formalem vniendi, quia non potest esse sine exercitio unionis, quam rationem ait ipse Albertinus tom. 2. disput. 4. de prædicam. substantia, quest. 3. n. primo esse evidenter, quia implicat dari actualiter unionem quin actualiter vniatur, quia est modus & ratio formalis vniendi: sed secundum Albertinum existentia est modus & ratio formalis extrahendi rem extra causas: ergo non potest dari existentia quin actualiter extrahatur rem extra causas: sed ab æterno extrahit existentia seu essentia existentie, aut prædicata essentialia illius, ut ipse asserit: ergo ab æterno extrahit rem extra causas: ergo ab æterno res existit extra causas quod est hæreticum; siquidem nihil existit nisi per productionem Dei, & Deus nihil produxit ab æterno; sed in tempore. In principio enim fecit Deus &c. vel si ab æterno existentia, quæ tunc fuit non extraxit rem extra causas in actu exercitio: ergo non est ratio formalis extrahendi rem extra causas, neque est ipsum exercitium existendi: ergo essentia existentie distinguitur ab actu formali extrahendi rem extra causas. Unde si aliquid valet utrum argumentum contra nos negantes essentiam hominis distingui ab existentia hominis, etiam valet contra te negantem prædicatam essentialia existentie distingui ab ipso exercitio existendi; & contra vero si contra te non valet hoc argumentum ad hominem, minus urgebit contra nos tuum, quia contra nos non est ad hominem, & præterea possumus adhibere ad solvendum tuum argumentum ipsam solutionem qua nostrum argumentum solvere intendas.

Declaratur amplius hoc secundum Albertinum 174 de essentia existentie est exercitium existendi, sed ab æterno fuit coniuncta essentia cum existentia: ergo ab æterno fuit essentia existens. Patet consequentia (quia minor est sententia Albertini) implicat quod aliqua forma sit unita subiecto capaci effectus formalis, quin ex ipsa forma unita subiecto & ipso subiecto non resultet effectus formalis illius, quia talis effectus est totum compositum ex forma & subiecto, & unionem, sed totum compositum est idem quod materia, forma & unio quæ ibi dantur: ergo necessario datur ibi effectus formalis, quia ab æterno fuit unita existentia existentie, quæ est subiectum capax effectus formalis existentie: ergo ab æterno resultat effectus formalis existentie: maior est evidens, implicat enim quod albedo sit unita parieti quin resultet effectus formalis illius scilicet albus, quia subiectum est capax, tunc sic effectus formalis existentie est existens; sed ab æterno existentia fuit unita essentia quæ est capax illius effectus formalis: ergo ab æterno fuit essentia existens.

Dices ex Albertino quod existentia ut constituat 175 essentiam existentem requirit ut conditionem actionem agentis, quia licet detur aliqua forma in aliquo subiecto, nihilominus ut præbeat suum effectum formalem, necessario requirit aliquas conditiones, & sic in lapide si poneretur gratia conferret illi suum effectum formalem, ita similiter etiam si existentia sit ab æterno secundum suum esse essentialis, non facit rem existentem quia deest actio, adveniente

niente autem actione in tempore facit rem existentem.

176 Sed ante impugnationem aduerto duo, Primum quod conditiones ad aliquam formam possunt esse in duplici ratione, alia sunt antecedentes ipsam formam quæ necessario requiruntur ut forma sit ita ut si non datur talis conditio non possit dari ipsa forma ad eum modum quod Doctores communiter dicunt intellecti-
177 onem esse conditionem necessariam ut sit volitio, & nos asserimus approximationem esse necessa-
178 riam conditionem ut sit actio agentis, ita ut sine illis conditionibus non possit dari forma; at vero si aliqua conditio licet sit necessaria ex natura rei, nihilominus si datur forma in subiecto necessario dabitur effectus formalis & compositum ex ipso subiecto & forma, v.g. etiam si dispositiones organorum, & alia accidentia sint necessariae ad formam hominis, nihilominus si forma rationalis datur in materia componet hominem, & hoc in formis absolutis omnes Doctores concedunt, & Albertinus etiã cõcedit in reatiuis in quibus hoc negotium difficilius est, nam cū *in prædicatione ad aliquam, quæst. 6. sect. 1.* asserit relationem distingui a suo fundamento, id probat quia si non distingueretur non existente termino referretur fundamentum ad terminum, quia totum esse relationis est, & consistit in actuali exercitio referendi, & *disput. 4. prædicationis substantia, quæst. 3. m. 70.* asserit quod licet doctrina de connotatis extrinsecis possit admitti in relatione, & figura, nihilominus in vnione non debet admitti. Alia sunt conditiones necessariae antecedentes ipsam formam quæ nullo modo sunt necessariae ut forma causet suum effectum formalem primariũ: sed solũ requiruntur ad operationes exercendas ut est subsistentia in natura, aut solũ ad perfectione ipsius, rei vel ad connaturalẽ consistentiã illius, quibus omnibus ablatis si per possibile aut impossibile datur forma in subiecto necessario componet suũ effectũ formalem.

177 Aduerto secundo quod quando querimus vtrũ essentia, & existentia distinguantur, quæstio procedit de omni ente creato tam absoluto quam respectiuo modali, & reali, quibus positis sic argumentor.

178 Posita forma in aliquo subiecto necessario debet præstare suum effectum formalem deficientem quacumque conditione, dum tamen datur id quod est essentiale ipsi formæ: sed ab æterno datur tota essentia existentia in essentia; ergo debet dari effectus existentia: maior est sententia Albertini, ut constat ex locis allegatis de relatione, & vnione, & patet ex notabili, vel dicant aduersarij quo alio argumento esset convincendus qui diceret quod in Eucharistia non esset homo Christus Dominus, quia deficit illi extensio quæ est conditio necessaria: certe nullo alio nisi quia in Eucharistia est animus rationalis vnitus materiæ primæ, quia implicat quod datur forma in subiecto, & quod non datur effectus formalis formæ, vel si in nostro casu aliquis diceret quod licet datur existentia Christi Domini, nihilominus non existeret, quia ut illa existentia faciat existere hominem necessario requirit actionem generatiuam, productã ab alio homine; certe qui ita deliraret non esset convincendus aliunde nisi, quia datur tota essentia, & existentia in Christo Domino quod sufficit ut existat; vel si aliquis dicat quod animus rationalis in corpore sit de primo conceptu, non faceret hominem quia deficiunt illi aliquæ conditiones necessariae ad ratiocinandum, is convinceretur, quia implicat quod datur forma hominis in materia subleuati, & quod non datur homo quia datur tota essentia hominis; quod autem homo primo conceptus sit homo est certum in nostra fide, quia est capax peccati originalis, quod est proprium peccatum hominis: ergo ut firmissimum asserendum est quod

quoties datur aliqua forma in aliquo subiecto, necessitudo debet dari compositum quia est effectus formalis illius formæ, & ratio huius est euidens, quia essentia compositi nihil aliud est quam omnes partes vnite inter se, & quoties datur tota essentia rei est ipsa res: minor etiam est sententia Albertini, quia ipse ponit essentiam, & existentiam secundum totum esse reale, & essentiale illarum ab æterno: ergo est effectus formalis illarum scilicet Petrus existens quo quid absurdum in nostra fide.

Declaratur hoc totum, quia impossibile est quod 179 deficiat conditio ad aliquod quando non deficit conditio ad id totum quod est idem cum ipso, v. g. impossibile est ut deficiat conditio ad hoc ut sit homo, si non deficit conditio ad hoc ut sit animal rationale, quia homo, & animal rationale sunt idem alias deficeret, & non deficeret simul conditio ad idem ipsum quod est impossibile, quia impossibile est idem simul esse, & non esse, sed in vestra sententia (si consequenter loquamini) non deficit conditio ab æterno ad id quod est idem quod effectus formalis existentie: ergo non potest deficere conditio ad ipsum effectum formalem existentia: minor est euidens, quia totum compositum ex essentia tanquam ex subiecto, & ex existentia tanquam ex forma actu est idem quod effectus formalis existentia: sed ab æterno non deficit conditio ad hoc ut sit totum compositum ex essentia, & existentia: ergo ab æterno non deficit conditio ut datur id quod est idem quod effectus formalis existentia. Maior illa est certa, quia nihil aliud est effectus formalis alicuius formæ quam concretum constitutum per illam formam, sed totum compositum ex essentia tanquam ex materiali, & ex existentia tanquam ex formali media vnione inter illas est concretum constitutum ab existentia: ergo totum compositum ex essentia tanquam ex subiecto materiali, & existentia tanquam ex forma est effectus formalis existentia. Exemplo clarissimo demonstratur, quia album ideo est effectus formalis albedinis, quia est concretum & compositum ex pariete tanquam ex subiecto materiali, & ex albedine tanquam ex forma vnitis inter se, & ideo homo est effectus formalis animæ rationalis quia est concretum & compositum ex materia prima & ex anima rationali: ergo concretum & compositum ex essentia tanquam ex subiecto materiali, & existentia tanquam ex ratione formali erit idem quod effectus formalis existentia.

Minor illa sic demonstratur, quia totum compositum ex aliqua materia & forma vnitis nullomodo distinguitur a parte rei ab ipsa materia forma & vnione simul, sed potius est idem ac ipse, ita ut sit verum dicere materia, forma, & vnio sunt totum compositum & concretum a tali materia & forma, vel ex illis: sed ab æterno non deficit conditio ut sit essentia quæ est materia vel quasi materia, & existentia quæ est forma vel quasi forma, & simul vnio essentia cum existentia: ergo ab æterno non deficit conditio ut sit totum compositum & concretum ex essentia & existentia simul vnitis: ergo euidenter colligitur ex tota hac demonstratione (supposita vestra sententia asserente actionem deficere ab æterno, & nihilominus dari ab æterno essentiam existentiam & vnionem inter ipsas) actionem deficientem nullomodo esse conditionem necessariam ad effectum formalem existentia, alias etiam esset conditio necessaria ad essentiam, existentiam, & vnionem inter ipsas, quæ sunt idem quod effectus formalis existentia, ac proinde non darentur ab æterno essentia, existentia, & vnio inter ipsas: sed deficiente ab æterno actione Dei dantur essentia, existentia

& vnio inter ipsas : ergo non est conditio necessaria ad illas : ergo neque est conditio necessaria ad essentiam existentem, quæ est idem quod effectus formalis existentia, v. g. si actio Dei non esset conditio necessaria ad disgregatiuū visus non esset conditio necessaria ad album, sicut si actio Dei non esset conditio necessaria ad corpus, animam rationalem & vnionem inter ipsa etiā non esset necessaria ad hominem, qui est idem cum illis : sed per vos essentia, existentia, & vnio eorum est idem quod effectus formalis existentia, & actio Dei non est conditio necessaria ad essentiam, existentiam, & vnionem : ergo non est conditio necessaria ad essentiam existentem se ad effectum formalem existentia.

182 Secundo impugnatur eadem solutio euidenter : ideo per vos ab æterno non existit res, & existit in tempore quia in tempore datur actio agentis ; sed etiam ab æterno fuit actio agentis : ergo ab æterno fuit res existens v. g. Angelus Michael. Maior est solutio quam impugnamus : minor probatur manifeste, quia ab æterno fuit essentia, & existentia actionis propter eandem rationem, quia id probant aduersarij in essentia & existentia hominis, quia quæstio, vt constat ex notabili, procedit de omni essentia, & existentia creata, & de actione est verum dicere quod est ens reale, & quod habet essentiam necessariam æternæ veritatis, & reliqua argumenta Albertini : ergo ab æterno fuit actio : ergo & res existens. Patet consequentia, quoties datur aliqua forma in aliquo subiecto cum omnibus conditionibus necessario datur effectus formalis ; sed ab æterno fuit existentia in subiecto cum omnibus conditionibus : ergo ab æterno fuit effectus existentia quod est res existens.

181 Dices quod deficit illi aliqua conditio scilicet tempus, quia ab æterno nulla res creata potest existere.

183 Sed contra primo, quia etiam ab æterno debuit esse tempus secundum essentiam, & existentiam propter eandem rationem, quia est ens reale, & omne ens reale per vos fuit ab æterno secundum esse essentia, & existentia. Contra secundo : ergo in hoc tempore non solum dantur Angeli producti, sed etiam omnes qui à Doctores dicuntur possibiles, & posse produci à Deo, hodie, hac hora &c. Patet consequentia, quia ideo non fuerunt ab æterno existentes, quia deficiebat conditio temporis : sed nunc non deficit : ergo nunc sunt existentes omnes Angeli possibiles qui à Doctores dicuntur posse existere ; quod est falsissimum, & eodem modo impugnantur omnes solutiones quæ possunt dari, videlicet quod deficiat vnio inter essentiam, & existentiam, & relatio prædicamentalis inter illas, quia etiam illa vnio vel relatio fuerunt ab æterno, quia sunt entia reali secundum essentiam, & existentiam : ergo nihil deficit ad hoc vt res existat ab æterno. Præterea qui responderet quod Deus solum produxit vnionem inter essentiam, & existentiam eodem modo sunt impugnandi, quia etiam illa vnio fuit ab æterno, & actio produciens illam vnionem fuit ab æterno : ergo deinde quid absurdius potest excogitari quam dicere quod Deus in productione Angeli eodem modo se habet sicut homo in productione alterius hominis qui solum producit vnionem, imo si aduertatur secundum hanc sententiam Deus minus facit quam homo, quia homo in mea sententia producit essentiam, & existentiam vnionis, & secundum aduersarios neque producit essentiam neque existentiam vnionis ; sed solum coniungit essentiam vnionis cum existentia vnionis ; vnde solum facit modum vnionis, & non vnionem ipsam eo modo quo facit homo. Deinde,

quia multi ex aduersariis negant in vnione dari vnionem distinctam quæ vniat essentiam, & existentiam ipsius vnionis ne deur processus in infinitum : ergo in hac sententia nihil producit Deus, quidem neque producit essentiam vnionis, neque existentiam illius : ergo nihil est quod producat Deus.

Imo etiam concedant aduersarij dari vnionem distinctam inter essentiam, & existentiam vnionis ; iterum redit idem argumentum, quia Deus non producit illam secundam vnionem, quia neque producit essentiam, neque existentiam illius propter rationes dictas : ergo nullo modo producit illam vnionem : ergo nihil producit Deus : ergo minus facit quam homo ; neque potest recurri ad tertiam vnionem, quia idem argumentum currit de tertia, ac de secunda, & prima.

Nec valet dicere, quod licet dentur essentia, & existentia vnite inter se, nihilominus non existit res, quia non datur actus diuinæ voluntatis, quo vult illa existere. Non, inquam, valet ; quia non potest facere, quod datur forma in materia, & quod non datur effectus ; sicut si daretur forma hominis in materia hominis, necessario daretur homo ; (& pone casum in quo per possibile, aut impossibile Deus esset agens natura, vt posuit illum Aristoteles) etiam si non daretur actus voluntatis diuinæ secundum sanam Theologiam ; quia ille solum requiritur quasi antecedenter, vt ponatur forma in materia ; posita autem non potest facere Deus quod non sit homo ; sicut posito peccato in homine, etiam si datur actus displicentia, non ideo homo non est peccator, sed ab æterno datur essentia, & existentia vnite inter se : ergo illis suppositis necessario sequitur quod sit res existens ; sicut ex eo quod ab æterno datur generatio Verbi diuini, etiam si pro illo priori generationis non concipiatur actus paternæ voluntatis, nihilominus datur Verbum æternum, quia hæc omnia, quæ sunt essentialia illius, dantur : ergo etiam si non datur actus voluntatis diuinæ, si ab æterno omnia sunt essentialia rei existentis, necessario dabitur res existens in eo ; quod sequitur manifeste ex contraria sententia ; & quod res necessario existit independentem à libera voluntate Dei, sicut existit Verbum æternum, quod est aperta hæresis ; ex quo etiam sequitur quod homo necessario esset beatus, quia datur necessario visio beata, propter eandem rationem. Prætermittito alia absurda, quæ sequuntur ex prædicta sententia, quæ lumine naturæ sunt nota.

SYBSECTIO. X.

Efficaciter probatur ab inconuenienti nostra Conclusio.

SI essentia Angeli v. g. distinguatur ab eius existentia, Angelus non crearetur à Deo, sed potius educeretur, aut generaretur ; & idem est de anima rationali ; sed hoc est maximum absurdum, tam in Philosophia quam in fide nostra : ergo essentia, & existentia non distinguuntur in Angelo. Maior sic probatur, quia Deus non producit essentiam Angeli, quia per vos est increata, æterna, & à se, & sic ab æterno datur essentia Angeli, (quæ non daretur si produceretur à Deo, in tempore, quia quidquid produciatur à Deo, in tempore produciatur, ac proinde ab æterno non datur). Vnde solum Deus producit existentiam Angeli ; ac proinde solum hoc concretum Angelus existens ; sed existentia Angeli quatenus est modus, vel entitas omnino dependens ab essentia tanquam à subiecto materiali, non